METHODUS FACILLIMA,

CREMATUM FRUMENTI

SINE RECTIFICATIONE AB INGRATO SUO ODORE ET SAPORE LIBERANDI.

Auctore

TOBIA LOWITZ.

Convent. exhib. die 13 *Decembr.* 1787.

Crematum fruementi, dum rectificatur super largam satis carbonum copiam, ingrato suo odore privari, jam duobus abhinc annis experientia reperi. Postquam vero, permultis novis hac aestate institutis de carbonibus experimentis, vim eorum dephlogisticandi longe, quam quidem unquam putavi, majorem deprehendissem, praecipue carbonibus ante usum, ne oleosae in iis particulae relinquantur, proba exustis; incidit in mentem mihi, experiri, annon adeo absque ulla rectificatione crematum frumenti auxiliante sola vi carbonum dephlogisticatrice, ab ingrato odore suo liberari suaviusque reddi possit, praecipue cum ab isto carbonum, utpote qui solutionem admittunt nullam, usu nulla quoque peregrina cremati inquinatio metuenda sit, et, res si succederet, cremati emendatio hoc modo ab omnibus proprio marte institui possit, quae rectificationis auxilio ob vasornm defectum ab omnibus suscipi neutiquam potest.